Universitätsbibliothek Paderborn

Solida, Verboqve Dei Et Libro Concordiae Christianæ congrua Decisio, Qvatvor Illorvm Inter Aliqvos Theologos Augustanæ Confessionis, Nuperrime Controversorum Capitum Principaliorum, de verâ ...

Johann Georg <I., Sachsen, Kurfürst>

Lipsiæ?, [ca. 1624]

I. Statvs Controversiae De Hoc Capite.

urn:nbn:de:hbz:466:1-32961

Visual Library

CAPUT SECUNDUM.

DE CAUSA, VEL FUNDAMENTO PRÆSENTIÆ DEI APUD CREATURAS: ET IN SPECIE DE FUNDAmento omnipræſentiæ Chriſti ſecundùm humanam naturam.

I.

STATUS CONTROVERSIÆ DE HOC CAPITE.

CIRCA controverſia de Præſentiæ Dei ratione, & definitione, mox de eo quoq; diſputatum fuit inter quoſdam Auguſtanæ Confeſſioni addictos Theologos, Primò, *An præſentia Dei modificata apud Creaturas, prout in Sacris Bibliis deſcribitur, à ſola immenſitate & infinitate Dei, an verò etiam à liberrima Ejus voluntate oriatur?* Ubi una pars ſolam immenſitatem & infinitatem pro fundamento præſentiæ divinæ habuit: Altera verò immenſitatem Dei, & liberrimam Ejus voluntatem in præſentia ſimul concurrere, contendit.

Poſtea de hoc etiam controvertitur, *quod ſit omnipræſentia Chriſti Ieſu juxta carnem, fundamentum proprium & proximum? An voluntas & beneplacitum Dei? an perſonalis unio? An ad dexteram Dei ſeſſio?* Ubi iterum unam ſententiam hæc, alteram illa pars amplectitur & propugnat.